



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonix S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus VI. De Translatione Festorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITULUS VI.

De Translatione Festorum.

IN Ecclesiis autem ubi titulus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum Festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de Festo. Dum igitur contingit transferri v. g. festum S. Antonii, Immaculatæ Conceptionis, &c. omnino duæ Missæ cantandæ sunt, aut tantum una de die: non autem licet cantare de Festo, illâ, quæ est de die omisâ vel solùm lectâ: quia Missa sine cantu est privata, non Conventualis, GAVANT. ad tit. 15. part. 1. neque Missa de Festo censi potest Conventualis, quia ab Officio discordat. Estque casus privilegiatus, quod ob devotionem populi possit, non quod cantari debeat de Festo. Excepta Dominica 1mâ Adventûs, Feriâ 4tâ Cinerum, Dominicâ 1mâ Quadragesimæ, Dominicâ Palmarum cum totâ hebdomadâ majori. Dominicâ Resurrectionis, & Dominicâ Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniâ, Ascensionis & festo Corporis Christi. Quibus diebus Missa de Festo intermittenda est.

TITULUS VII.

De Commemorationibus.

N. 1. **D**E Festo simplici fit Commemoratio in Missâ, quando de eo in Officio facta est Commemoratio in 1mâ Vesperis, quando de eo tantum fit Commemoratio ad Laudes, in Missa solemni non fit Commemoratio de eo, sed in Missis tantum privatis. Excipitur Dominica Palmarum & Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit Commemoratio etiam in Missis privatis de Festo simplici occurrente, licet sit facta in Officio.

N. 3. Quando infra hebdomadam dicuntur Missæ votivæ. Intellige de privatis, & de Conventualibus non solemnibus quæ dicuntur in feriis.

Post